



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

Venerari sanctos, an sit traditio humana. tit. 217

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

At quid faciet tunc simplex idiota Laicus, penitus ignorans differentiam, nec intelligens dogmata? Respondeo, credat corde Ecclesiam catholicam, & apud illam se velle viuere & mori, & oret Deum pro misericordia. At grauissimè punientur sollicitatores à catholica vnitatem.

Inquies: viri boni, docti, sunt sectarij, bonæ vitæ, omnia ordinatè faciunt, diligentius docent catechismum, prædicant, administrant sacramenta. Respondeo: Vnum deest, inquit Augustinus, vnitatem & charitatem, 1. Cor. 13. Sine qua cor languidum est, etsi omnia alia membra sint sana, &c. Summa, dissensio semper cor mordeat, & hic vermis non morietur, sicut nec in Cain erga Abel, Genes. 4.

VENERARI SANCTOS

an sit traditio humana.

TITVLVS CCXVII.

P RIMò notandum, quòd solus Deus est sanctus, bonus, iustus, sapiens, misericors, & verax, s. natura. Cætera omnia siue homo siue creatura, sunt sancta, iusta, bona, &c. ex donatione & concessione diuina, Psalm. 98. Quoniam sanctus Dominus Deus noster, Leuit. 20. quoniam & ego sanctus sum. Matth. 19. Nemo bonus, nisi vnus Deus. Romano. 16. Cogniti soli sapienti Deo per Iesum Christum. Matt. 23. Vnus est magister vester, id est, ex natura propria, & non habet ab alio Deus suam sanctitatem, bonitatem, iustitiam &c. At omnes cæteri sancti & angeli habent suam sanctitatem, bonitatem, iustitiam à Deo, 1. Corinth. 4. Quid habes quod non accepisti? Sunt enim omnia dona Dei.

Secundò, ex quo sanctitas, bonitas, iustitia, &c. est à Deo, quam habent omnes sancti, quòd ergò veniamur sanctitatem, iustitiam, bonitatem sanctorum,

Ili s cum.

cum primis veneramus Deum, qui concessit sanctitatem. Subindè homines & creaturas propter Deum, non propter semetipsos, sed propter Deum, & Deum in ipsis. Nam detrahe ab illis sanctitatem & dona Dei, & tunc quid aliud sunt, nisi peccatores, omnes sancti? Ergò Deus, cuius est sanctitas, veneratur in sanctis: sic tres pueri in camino ignis, iubent omnes creaturas vt laudent Deum pro concessis donis, Daniel, 3. & Dauid, Psal. 148. Laudate Dominum de caelis. Sic veneramus Deum in sanctis, & sanctos in Deo. At quoniam hoc fecerunt sancti viri, ex instinctu Spiritus sancti, ergò non est traditio humana, veneratur sanctos, sed præceptum diuinum: nam iubemur sic laudare Deum, & Galat. primo inquit Paulus, in me glorificabant Deum.

Tertiò, August. libr. 22. de ciuit. Dei, cap. 10. Non ædificamus sanctis & martyribus templa vt faciunt gentes dijs suis, sed Deo ædificamus templa & Altaria, in quibus Deum laudamus & adoramus: sed in templis solùm memoriã agimus sanctorum, & Deum in ipsis, & ipsos in Deo veneramus: non illos adoramus, nec ieiunamus, vigilamus, elemosynã damus, candelas accendimus nullo horum indigent, sed intentio ad Deum erigitur, vt & nostri Deus miseretur, & dona sua concedat, sicuti illi sancto, id est, sapientiam, iustitiam, sanctitatem, Et sic propter Christum, qui est causa efficiens donorum.

Quartò, Sanctos veneramus propter hanc solam causam, vt sint adiutores nostrarum precum. Primò, vt Christi fidem & præcepta sic sequi valeamus ex Dei gratia, sicuti ipsi, secuti sunt, sic Paulus 1. Cor. 10. dicit: Imitatores Dei estote, & mei imitatores, sicut & ego Christi. Sic venerantur Basilus, Cornelius, Cyprianus sanctos, Hæc autem veneratio non est adoratio, sicut veneratio magistratus propter officium non est adoratio. Romano. 13. Ad hanc summam con-

nes orationes de sanctis reducuntur, vt sint nostri
comprecatores, &c.

ORA PRO NOBIS DO-
minum, *Iudith 8.*

TITVLVS CCXVIII.



IDES Catholica est, quod sancti in hac
& post hanc vitam orent pro commem-
bris suis, i. Cori. 12. Dominum Deum in
caelis, & quod Deus etiam exaudit illo-
rum preces pro nobis. Sic orat Moyses
pro populo, ne Deus puniat pestilentia, & exauditur
Num. 14. Orauit Dauid, & cessauit pestilentia, 2. Reg.
24. orat Ecclesia pro Petro, & liberatur e carcere, Act.
12. Orat Paulus in naufragio, & fit tranquillitas, Act.
27. Sic committit populus se orationi Iudith, dicens: *Iudith. 8.*
ORA pro nobis Dominum quoniam mulier fan-
ctas, &cæt.

Subinde sanctos iam apud Deum orare pro nobis,
credit Ecclesia, ex 2. lib. Machabæorum capit. vltimo,
vbi Deus reuelauit Iudæ Machabæo, quod vidit O-
niam & Hieremiam orantem pro populo, & illi iam-
dudum erant mortui. Sic Jeremi. 13. dicitur quod
Deus illi dixit: Si Moyses & Samuel orauerint p hoc
populo obstinato, &cæt. Sic prophetæ Zachariæ osten-
ditur à Deo, quomodo angelus orat pro Hierusalem
& vrbibus Iuda, supra quas Deus iratus fuit, & cha-
ritas ex qua hîc orârunt Dominum pro nobis, non-
dum excidit, i. Cori. 13. Et mors nondum eos separa-
uit à corpore mystico, id est, à nobis. i. Corinthio. 10.
Zachariæ 1.

Postremò, non adoramus sanctos, aut angelos, aut
aliquam creaturam, sed solum Deum, Matt. 4. Deut.
6 qui est creator, redemptor, omnium bonorum da-
tor. In sanctis Deum laudamus, Galatas 1. Et fan-
ctos propter Dominum CHRISTVM, qui eos sancti-
ficauit,